

Celebrazione del matrimonio davanti ai soli testimoni

La Nunziatura Apostolica in Italia, con lettera n. 2707/72 del 2.2.1972, ha trasmesso il seguente documento.

SACRA CONGREGATIO DE DISCIPLINA SACRAMENTORUM

INSTRUCTIO AD REV.MOS LOCORUM ORDINARIOS DE CANONICA CELEBRATIONE MATRIMONII CORAM SOLIS TESTIBUS IN CASIS PARTICULARIBUS

Ad Sanctam Sedem haud ita pridem nonnulli Ordinari dioecesani, sive singuli, sive in coetibus congregati, preces admoverunt ut, derogando Codicis Juris Canonici praescriptis (CC. 1094-1103), in casibus particularibus, ob penuriam Sacerdotum et Diaconorum, concederetur facultas valide celebrandi canonicum matrimonium coram catholico fidei, a parrocho vel loci Ordinario delegato, et duobus testibus.

Quarum precum studio sedulo peracto, consultisque Dicasteriis et Officiis competentibus aliisque, quorum quomodocumque interest, Sacra Congregatio de disciplina Sacramentorum proposita examinavit in ordinario coetu die 18 Iunii 1971 habito, in quo quidem, ut oportebat, perpensa sunt etiam de hac materia argumenta allata a P. Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo¹.

Id autem sine dubio statim constitit preces supra memoratas ortas esse ex laudabili animarum zelo Pastorum quos urget timor ne gratia sacramenti destituantur illi qui christianam familiam legitime condere cupiant.

Id etiam animadverterunt Patres interdum matrimonium ineuntes non censere se uti posse canone 1098 C.I.C. — si modo eum cognoscunt — cum desit huiusmodi celebrationi signum quodvis nuptiarum indolem sacram et religiosam ostendens.

1. Omnibus vero accurate consideratis, visum est non expedire ut iure statuatur, absente Parocho aut Sacerdote vel Diacono, sive a iure sive a Parocho vel loci Ordinario delegato, alium christifidelem religiosum aut laicum esse nominatim deputandum ad assistendum, duobus sane testibus comitantibus, canonicae matrimonii celebrationi.

Etenim:

Si huiusmodi assistendi ratio *ad validitatem* requireretur, vis memorati canonis 1098 coartaretur, quo statuitur validum esse matrimonium coram solis duobus testibus contractum. Itaque immutatio iuris nunc vigentis fieret non quidem in bonum, sed

¹ Cfr. *Communicationes*, III, 1 (1971), pp. 78-81.

forte in damnum animarum, cum nempe suapte vi destituerentur plura matrimonia, quae secus essent valida. Difficilior revera fieret pro variis occurrentibus casibus usu canonis 1098.

Si e contra huiusmodi assistendi ratio ad solam *liceitatem* requiretetur, expetita bona plerumque non acciperentur et aliquid amplius imponeretur quod can. 1098 praecipit.

2. Cum vero plurimi habeatur, ut addecet, pastoralis sollicitudo Ordinariorum qui memoratas preces exhibuerunt, haec, quae sequuntur, facienda magnopere commendantur:

a) Illis, in locis, ubi ingens ambitus sive totius dioeceseos sive singularum paroeciarum id suadeat — tum accedente penuria in dies graviore Sacerdotum et Diaconorum, tum increbrescente populi frequentia a sede paroeciali et a parochi domicilio longius commorantis, atque deficientibus, vel difficilibus exstantibus commeatibus — attente perspiciant Ordinarii an legitime declarari possit fidelibus, inibi residentibus, validum et licitum esse usum canonis 1098 (qua quidem in re, praeter ipsum tenorem canonis, prae oculis habendae sunt authenticae eiusdem interpretationes, datae a P. Commissione ad Codicis Canones authentice interpretandos die 10 Novembris 1925, die 10 Martii 1928 et die 25 Iulii 1931, quae in Commentarium Officiale « Acta Apostolicae Sedis » relatae sunt).²

b) Iidem Ordinarii, aptis ad hoc institutis curriculis catecheticis, laicos instruendos curent, qui, descriptis locis assignati:

— catechesim celebrationi nuptiarum praevidiam tradant, ita ut matrimonium ineuntes canonica praescripta discant et invitentur ad consequendum viis extraordinariis, quae praesto sunt fidelibus, statum gratiae necessarium pro salutari sacramenti matrimonii receptione;

— ad assistendum ipsi matrimonii celebrationi praesto, sint, firma tamen sponsorum facultate coram quibuslibet testibus ad normam can. 1098 matrimonium valide contrahendi;

— debita forma et ad normam iuris documentum conficiant celebrationis matrimonii illudque curent in praescriptos libros paroeciales transcribendum.

Hac ratione — quae quidem praescriptum can. 1098 non immutat, quaeque fidelem « qualificatum » non facit testem canonicum cum auctoritate Ecclesiae, qui addatur duobus testibus requisitis in forma extraordinaria, sed efficit ut eorum alteruter, aptius edoctus, peropportunum opus ecclesiale agere queat — expetita bona videntur satis attingi. Praeterea « qualificatus » fidelis, qui opportune instructus celebrationi matrimonii assistit, poterit, iuxta Ordinarii praescripta, curare, ut ritus externam significationem religiosam et sacram induat (hac de causa, si fieri potest, idem in loco sacro peragatur et precationibus ditetur); expresse in praesentium notitiam afferre canonem 1098, publice declarans eiusmodi celebrationem esse legitimam formam, iure statutam et probatam, ineundi matrimonii sacramentum; se demum sponsorem praebere debita transcriptionis in libros paroeciales.

² A.A.S. 17 (1925), p. 583, VIII; A.A.S. 20 (1928), p. 120, 1; A.A.S. 23 (1931), p. 388, I.

Cura Ordinariis erit, ut ad munus hoc eligantur laici, qui spem afciant fore ut eo recte perfungantur. Imprimis igitur asciscantur, praeter candidatos Sacrorum Ordinum et alumnos theologici et philosophici Seminarii, catechistae, Actionis catholicae sodales aliique qui communi iudicio maturi censeantur.

SS.mus Dominus Noster Paulus Div. Prov. Pp. VI die 26 Novembris 1971 hanc Instructionem approbavit et confirmavit, eamque ab omnibus quibus spectat servari mandavit.

Datum Romae, ex Aedibus S. Congregationis de Disciplina Sacramentorum, die 7 Decembris 1971.

IOSEPHUS CASORIA, *a Secretis*

ANTONIUS CARD. SAMORÈ, *Praefectus*

IX Giornata mondiale di preghiere per le vocazioni

SACRA CONGREGATIO PRO INSTITUTIONE CATHOLICA - PROT. N. 1388/71/6 - ROMAE, DIE 15 MENSIS IANUARIII ANNO D. 1972 - E.mo D. Antonio Cardinali Poma, Archiepiscopo Bononiensi, Praesidi Conferentiae Episcopalis Italiae.

Eminentissime Domine,

Hisce sane diebus locorum Ordinariis omnibus sumus nuntiaturi proximum « IX Diem Mundialem precum pro vocationibus » celebratum iri die 23 mensis Aprilis huius anni, id est quarta Dominica Paschatis iuxta ordinem novissimi missalis Romani.

Dum nos de hac re certiores facimus et Ordinarios dioecesium iuris communis et Praesides Conferentiarum Episcoporum, ceterae SS. Congregationes eadem communicabunt cum locorum Ordinariis Ecclesiarum Orientalium et Missionalium, nec non Moderatoribus religiosorum, quo melius in annos « Dies Mundialis », ad mentem S. Pontificis, vere *unicus et communis* pro omnibus vocationibus celebretur.

Valde autem nobis haec memorantibus cordi est ut Eminentia atque Excellentia Tua, quatenus Episcoporum Conferentiae Moderator, si id placuerit, Pastores populumque Christianum adhortari velit ad animos in fide et fervore disponendos, quo amplius desiderata vocationum dona in Ecclesia tota favente Domino consequantur.

Quod praeteritum « VIII Diem Mundialem » attinet, ex multis Nationibus relationes et documenta plurima ac mentione digna recepimus atque laeto animo perle-